



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab anno Christi 1553. usque ad annum 1557

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1771**

**VD18 9011857X**

§. 19. De Mysticis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66565](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66565)

lumus; æquitatis enim lege laudem illis, quibus debetur, tribuere cogimur; quippe illi, qui in decidendis conscientiae casibus, ac præscribendis morum regulis nonnisi veritatis lucem, Evangelii præcepta, Sanctorum Patrum sententias, ac sani iudicii rationes secuti fuere, omni veneratione digni sunt, atque ipsa Ecclesia non sine ingenti solatio gloriatur, quod intra sinum suum pene innumeros ejusmodi Duces, ac Magistros scientia illustrissimos numeret, qui componendis moribus non sine maximo animarum profectu insudarunt, ac nonnisi juxta Ecclesiae mentem calamos suos strinxerunt, seque ardenti studio pene infinitis opinionibus mere humanis opposuerunt, ac sensim ab eis imperitum vulgus abstraxerunt. Inter hos autem comprehendimus illos, qui integra fide veritatem quærentes suæ salutis serio incumbere statuerunt.

## §. XIX.

*De Mysticis.*

Verum morum Doctrinam in recentioribus sæculis adhuc alterius generis hostes impugnabant, de quibus tamen pariter Ecclesia victoriam reportavit. Hi erant falsi Mystici, vulgo dicti *Spirituales*, qui relicta vera pietate suis deliriis sese manciparunt, & non raro  
in

in abominandum Phanatismum degenerarunt. Equidem Theologia mystica generatim considerata est infusa de Deo, rebusque Divinis cognitio, qua intellectus illuminatus, ac tenero, singularique modo voluntas adeo accenditur, ut anima suavi, pio, atque affectibus pleno motu trahatur, & intime Deo uniatur. Absit ergo a nobis, ut ejusmodi Theologiam a pluribus Sanctis traditam, atque ab Ecclesia approbatam damnemus: haud inconsulto tamen observamus, quod Veteres, quorum Scripta tanta luce effulgent, circa hanc materiam pauca scripserint, cum una ex parte ejusmodi intimæ Dei cum anima conjunctiones facilius sentiantur, quam verbis exprimantur, dum ejusmodi favores reipsa affluunt: ex altera autem parte nihil magis deceptioni obnoxium sit, quam ejusmodi insolitæ semitæ, per quas forte Deus homines rarius, quam creditur, ducere solet. Enimvero in Sacris Paginis, sanctisque Patribus tanquam necessarium præceptum summopere commendatur, ut Deus ex toto corde diligatur, ac anima non animet nisi propter Deum, omnesque illius operationes per charitatem ad illum referantur, necnon quis debitas pro statu suo rationes exacte adimpleat, unice eo fine, ut Deo

placeat, illi seruiat, atque ad eum in æternitate possidendum perveniat: verum ipsis haud cognitæ videntur habituales illæ conditiones visionum, interiorum illustrationum, ac orationum, quibus omnis operatio excluditur quinimo harum rerum saltem nomina veteres ignorabant, eorumque potissimi nullam de iis mentionem fecerunt: nec etiam constat, quod antiqui Patres, quantumvis in salutis via versatissimi essent, orationem ad artem methodicam reduxerint, aut crediderint, quod cordis affectus, ut ita dicam, ad bilancem ponderari, nec hi post illos ordine arbitrario, & quodammodo mechanico, qui eis præscribitur, produci debeant; si quis vero nefas esse arbitraretur, asserere, hæc arbitrarias speculationes ex Monachorum otio natas, affirmare tamen minime dubito, quod hæc saltem apud Monachos fuerint enutritæ, suumque robur acquisierint, indeque latius propagatæ fuerint; quando enim Monachi adhucdum manuum labori egregie infudabant, nec ipsis tempus, nec ejusmodi otiosis contemplationibus incumbendi media suppetebant, interim hæc exercitationibus non magis perfecti reddebantur, quam antea erant, priusquam ejusmodi speculationibus incumbebant, quinimo his ipsis ex proprio  
suo

fuo iudicio magis addicti, & plerumque magis superbi, minus obedientes, ac non raro minus internæ abnegationis studiosi efficiebantur. Ceterum inter primos Theologiæ Mysticæ Auctores merito censendus est Joannes Rusbrochius Presbyter, & Canonicus Regularis, qui tamen ipse de falsis ævi sui, seu Sæculi decimi sexti Ascetis idem iudicium tulit, dum ait: *Quotquot charitatis supernaturalis expertes vivunt, ad seipsos reflexi, in rebus extraneis quietem captant, & aucupantur; ex ipsa siquidem natura creaturæ omnes quietem appetunt, quam ob rem tam a malis, quam bonis quies multis expetitur, & inquiritur modis: ubi igitur quispiam secundum sensus nudus est, & liber ab imaginibus, & absque ulla actione otiosus secundum supremas vires, hic ex mera natura quietem adipiscitur, sed talem, qualem mortales omnes ex sola natura absque Dei gratia in seipsis reperire, ac possidere queunt, modo se a cunctis tum imaginibus, tum actionibus expedire norint: sed huiusmodi quietem Deum amans captare non potest. Etenim charitas Dei, & internus divinæ gratiæ tactus, otiosus non est, quo fit, ut homo internus, ac Deo devotus, in seipso in quiete naturali diu durare non possit: sed jam advertatur, obsecro, qua ratione quieti huic naturali vacetur. Hujus sectatores sessum ab-*

f 5 eunt,

eunt, manentque quieti, & otiosi absque ulla, vel interna exercitatione, ut optata potiantur requie, nec aliunde impediuntur: Verum hoc pacto quieti dare operam, nefas est, & illicitum; hujuscemodi namque quies quamdam in hominem cæcitatem, & ignorantiam nihil scientem adducit, efficitque, ut absque omni actione totus iners in seipso subsidat: neque aliud quicquam ista quies est, quam otium remissum, cui adeo sese tradunt illi, quos præ manibus habemus, ut, quantum ad actionem attinet, & Dei, & sui ipsorum, & rerum omnium oblivione capiantur. Sed in hac requie naturali Deum invenire non licet, quamquam solet sui studiosos ad ejuscemodi adducere otium, quod & Judæi, & Ethnici, immo quisvis flagitiosi peccatores obtinere queant, si in peccatis suis nullam conscientie patiantur reprehensionem, & ab imaginibus, omnique actione expedire se noverint: quo sane in otio quies magna, & delectabilis sentitur, quæ tamen secundum seipsam peccatum nullum est; cum in omnibus ex natura insit hominibus, modo se ab omnibus expedire sciant. Verum si quispiam eam sectari, eique sese dedere velit absque studio, & actibus virtutum, iam quidem abit in vitium, idemque ipse in spiritalem ruit superbiam, hoc est, complacentiam sui ipsius, quod vitium vix unquam bene curatur, persuadetque sibi nonnunquam aut habere, aut esse se, quo ta-

men

men nunquam pertingit : ubi igitur quietem hanc ista ratione inerti in otio possidet, putatque omnem amorosam ad Deum conversionem, & applicationem impedimento sibi esse, eadem ipsa quiete in seipso subsidet.

Ita loquitur Rusbrockius in suo tractatu de Nuptiis spiritualibus, videturque hæc descriptio apprime hodierni ævi Quietistis accommodata: equidem Rusbrockius de illis duntaxat sermonem ingerit, ut eos condemnet, nec tamen ipse omnes abusus, quos jure merito reprehendit, evitasse videtur, in cujus rei fidem unicum exhibeamus exemplum, ex quo conjici poterit, quod hic Auctor parum modestiæ, ac prudentiæ ostenderit in suo responso ad Gerardum Le Grand dato, qui celebris Doctor, ac insignis ævi sui Theologus Rusbrockium admonuerat, quod ejus libri pluribus offensionem essent: *Magister Gerarde*, inquit Rusbrockius, *certum, ac firmum habeto, nullum me unquam verbum scriptis meis inseruisse, nisi ex instinctu Spiritus sancti, & in singulari quadam, ac dulcissima præsentia sanctissimæ Trinitatis.* Ceterum ejus scribendi methodus erat hæc, quod toties, quoties se Dei gratia illustrari crederet, in quamdam sylvam conventui suo vicinam sese reciperet, ibidemque delitesceret. Hac ergo ratione omnia sua conscripsit opera, quam-

vis

vis pauci hodiedum reperiantur, qui ea perlegant: si vero plures ea pervolverent, forte perniciosum foret; nam celebris Gerson harum rerum apprime gnarus existimabat, quod Rusbrockius in suis visionibus deceptus fuerit, atque Enthusiasmus ipsius Phantasmam non nihil corruperit, nec tamen defuere Viri doctissimi, qui Rusbrockium defenderunt. Porro Joannes Taulerus ejusdem Amicus cognomento *Doctor Illuminatus*, præ illo magis Theologiæ scientia imbutus erat, prout ex ejus asceticis tractatibus elucet, ubi longe magis exactus, quam Rusbrockius apparet. Porro Monialis quædam Maria de Agreda quosdam sui operis præcones numerabat, & forte etiamnum aliquos numerat, quamvis ejus mystica Civitas absconis rebus passim ubique sparsis scateat, ac forte ipsamet non intellexerit, quæ scripsit. Præ ceteris placet Sancta Theresia, cujus omnia ferme opera adeo sublimiter Theologiæ Mysticæ doctrinis sunt referta, ut pauci illarum excellentiam assequantur: id tamen in illius libris summopere commendandum, quod ipsamet suæ cognitionis diffidentiam conceperit, omnemque illusionem sollicitè verita insolitas vias, per quas Deus illam ducebat, plerumque tanquam suspectas habuerit, cuncta-



cunctaque Superiorum magis illuminatorum iudicio submiserit: Insuper eadem omnia, quæ scripserat, unice sanctæ obedientiæ oraculo inducta calamo expressit, necnon ipsamet monuit, ut ea nonnisi circumspicte perlegantur. Ex adverso novissimis nostris temporibus Quietistæ nec tantam humilitatem, nec sui ipsorum diffidentiam, minus vero tam promptam sese subjiciendi voluntatem exhibebant, quapropter Ecclesia tam eorum doctrinam, quam scripta condemnabat, quin tamen propterea veram Ascetism vituperet, aut negare videatur, perinde ac si prædilectæ non darentur animæ, quibus Deus singulares, ac insolitos favores concedere velit: ipsa autem Ecclesia, an ejusmodi gratiæ vere a Deo procedant, iudicium ferre solet ex ejusmodi animarum vita tam sublimibus gratiis consona, ex animi humilitate, passionum dominio, morum puritate, ac integritate doctrinæ in illis, qui hisce favoribus dotati creduntur: Verum ea, quæ præter consuetum ordinem contingunt, universalis regulæ rationem obtinere nequeunt, proin Theologia Mystica nec unquam ad particularem morum institutionem, nec ad prædicationem deservire potuit, eo quod hæc nonnisi duos fines sibi præfixos habeat, ut scilicet intellectum  
illu-

illuminando convincat, ac cor accendendo moveat.

## §. XX.

*De Prædicatione.*

Ut uterque hic finis obtineatur, necesse est, ut quivis Prædicator ipsemet prius moralem doctrinam ex Sacris literis, & moralibus Patrum Scriptis hauserit, Ecclesiæque doctrina probe imbutus sit, ac intellectum convincendi, & cor flectendi artem probe didicerit, nam frustra in doctrina morali laborat, qui sua dogmata præparare, non autem in ordinem redigere norit: insuper sua argumenta ex sana ratione, experientia, rebusque huic vitæ cognitis depromere debet, nec minus oportet etiam, quantum fas est, insistere illis opinionibus, quæ suorum Auditorum animis jam firmiter imbibitæ sunt, semperque breviori, qua poterit, via ad finem sibi præfixum, qui non alius est, quam peccatorum conversio, tendat: præcipuum vero Prædicatoris munus est, ut cor moveat, quod tamen non nisi per ejusmodi repræsentationes, quæ imaginandi facultatem vehementer occupant, necnon per figuras, quæ nostros affectus excitant, fieri potest: ejusmodi autem argumenta Sacræ Paginæ longe plura, quam quicumque alii libri  
sup-